Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Nicolao Danilovitz

Thesaurario supremo Regni Poloniae

Urbanus Papa VIII.

De Pontificis Romani benevolentia in Ruthenos orthodoxos —

Dilecte fili nobilis vir salutem et apostolicam Benedictionem. Plura sunt, quibus perficiendis opinioni, quae de tuo zelo iampridem apud omnes invaluit, abunde satisfecisti; nihil tamen est, in quo Nobilitas tua maiorem sibi laudem consequatur, quam dum Ruthenis orthodoxis perhumaniter favet, atque ad reliquorum unionem procurandam nullum praetermittit officium. Id quemadmodum pietatis tuae instituto optime respondet, ita Nobis, qui Nationem illam pontificia complectimur charitate, ingentem

plane materiam affert consolationis. Nemo enim non videt quanto iis populis ad verae fidei semitas incitamento esse possit, si re ipsa perspexerit, Regni Proceres erga eorundem rationes, et commoda propensissime ferri. Quamobrem illos sic auctoritati tuae commendamus, ut nihil maiori studio commendari queat. Pro certo autem tibi persuadeas insigne hoc opus uberem relaturum mercedem ab Altissimo misericordiarum Patre, quem enixe rogamus, ut te diutissime servet incolumem, et Nobilitati tuae paterno affectu benedicimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III. Novembris MDCXXXXIII. Pontificatus nostri anno vigesimo primo. =

Descriptum, et recognitum ex autographo Regesto Epistolarum

ad Principes f. r. Urbani PP. VIII, An. XXI. pag. 349, quod adservatur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis. In quorum fidem Dabam die IV. Kalendas Iunii MDCCCXXXVII.

ARCHIVUM SECRET. VATICANUM APOSTOL.

M. Marini
Tabular. S. R. E. Praefectus